



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117964**

§. 54. S. Anselmus Episcopatu se abdicare meditatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI.  
A. C. 1098.

§. LIV.

*S. Anselmus Episcopatu se abdicare  
meditatur.*

*Edmer. II.  
Nov. n. 31.*

n. 34.

Post obsidionem Capuæ Papam, urbem Averſanam petentem, Anselmus ſecutus eſt. Tunc vero Præſulem ſerio cogitantem, quantas ærumnas in Anglia, ſine omni pæne fructus ſolatio, tuliffet, contra vero quam ſuavi quiete nunc frueretur, & quanto ſalutis aliorum emolumento nunc audiretur ab omnibus, ex quo Angliam reliquiſſet, ingens deſiderium ſubiit nunquam illuc revertendi, & ſe ſe Archiepiscopatu abdicandi. In eo propoſito inde confirmabatur, quod exigua eſſet ſpes, ſe unquam pacem habiturum cum Rege Guilielmo, de quo in dies pejora nunciabantur, quæ animum Principis non Juſtitiam modo, ſed etiam Religionem contemnentis prodebant. Ergo in conſpectum Papæ procedit, & poſtquam expoſuiſſet, quantis fluctibus mens anxia agitantur, rogat, ut ſui commiſeratione tangi ſe ſineret, & ab Episcopatus onere liberaret. Exclamat Papa: *En magnum Episcopum! en præſtorem eximium! qui necdum guttam unicam ſanguinis effudit, & gregem ſuum deſerere vult. Custodiat te Dominus, Fra-ter mi, ne iſti tentationi succumbas. Nam ſcias velim, me, quod petis, non modo tibi*  
dene



denegare, sed etiam in Dei & S. Petri nomine imperare, ut, quoad possis, Regni Anglici curam non dimittas, etiamsi te in illam Insulam redire Regis tyrannis non permetteret. Sed tam auctoritatem quam insignia Episcopatus, in quocunque loco verferis, tibi serva. Acquievit Anselmus, eumque Pontifex Barii adesse iussit, ad Concilium prima die Octobris ibi celebrandum, in quo ei præsidium Papale contra Regem Angliæ & omnes Libertatis Ecclesiasticæ hostes præstiturus esset. Interim Anselmus ad solitudinem Selaviacensem redux, ut obedientiæ meritum sibi compararet, petiit a Papa, Præpositum sibi dari Edmerum monachum, itineris socium, sine cuius licentia deinde nihil agebat, & ne quidem noctu corpus in lecto versabat.

Sæculum XI.  
A.C. 1098.

Malmesb. I.  
Pont. p. 219.

§. LV.

*Monarchia Siciliae.*

Cum Papæ nunciatum fuisset, Ducem Calabriae, & Siciliae Comitem, ipsius Patruum, Salerni commorari, eo se contulit, familiariter collocuturus Comiti, quem tenerrimo amicitiae affectu complectebatur. Pridem vero Papa Robertum Episcopum Trainiensem, Legatum suum in Siciliam, Comite inconsulto, miserat, quem Comes usque adeo fastidiebat, ut eum munere Legati Apo-

Gaufr. Maut.  
let. IV. c. ult.